

» bant, mittentes semina sua. » Quare, « Mittentes semina sua? » Quia, « Qui seminant in lacrymis, in gaudio metent. »

XV. Isto Psalmo exhortati vos fuerimus maxime ad faciendam misericordiam, quia hinc ascenditur; et videtis quia ille cantat Canticum graduum, qui ascendit. Mementote; nolite amare descendere et non ascendere, sed de ascensione cogitate: quia qui descendebat ab Jerusalem in Jericho, incidit in latrones¹. Non descenderet, et non incideret in latrones. Jam ergo Adam descendit, et incidit in latrones: omnes enim nos Adam sumus. Sed transiit sacerdos, et contempsit; transiit Levita, et contempsit, quia Lex sanare non potuit. Transiit Samaritanus quidam, id est, Dominus noster Jesus Christus: illi enim dictum est: « Nonne verum dicimus nos, quia Samaritanus es tu, et dæmonium habes? » Ille non dixit: Non sum Samaritanus: sed dixit: « Ego dæmonium non habeo². » Samarites enim interpretatur, custos. Si diceret: Non sum Samaritanus; diceret: Non sum custos. Et quis alius custodiret? Deinde ponens similitudinem: « Transiit Samaritanus, et fecit cum illo misericordiam³, » sicut scitis. Jacebat autem in via vulneratus, quia descendit, Transiens Samaritanus non nos contempsit: curavit nos, levavit in jumentum, in carne sua: perduxit ad stabulum, id est, ad Ecclesiam: commendavit stabulario, id est, Apostolo: dedit duos denarios unde curaretur, charitatem Dei et charitatem proximi; « In his duobus enim præceptis tota Lex pendet et Prophetæ⁴. » Dixit autem stabulario: « Si quid amplius erogaveris, in redeundo reddam tibi⁵. » Amplius erogavit Apostolus: quia cum omnibus Apostolis permissum esset, ut acci-

¹ Luc. x, 30. — ² Joan. viii, 48, 49. — ³ Luc. x, 33. — ⁴ Matth. xxii, 40. — ⁵ Luc. x, 35.

perent tanquam milites Christi stipendia a Provincialibus Christi, ille manibus suis laboravit, et annonas suas Provincialibus donavit¹. Omnia facta sunt: si descendimus, et vulnerati sumus; ascendamus, cantemus, et proficiamus, ut perveniamus.

ENARRATIO

IN PSALMUM CXXVI.

Sermo ad plebem.

I. INTER omnia cantica, quibus est titulus, « Canticum graduum, » iste Psalmus aliquid amplius in titulo accepit, quod additum est, « Salomonis. » Sic enim prænotatur, « Canticum graduum Salomonis. » Itaque fecit nos intentos inusitator titulus cæteris, ut quæramus quare sit additum, « Salomonis. » Nam quid sit « Canticum graduum, » non opus est sæpe repetere: plura enim dicta sunt hinc, quia cantat ascendentis vox in affectu pietatis et charitatis ad illam supernam Jerusalem, cui suspiramus quandiu peregrinamur, et ubi lætabitur cum a peregrinatione redierimus. Ascendit ad hanc omnis qui proficit, cadit ab hac omnis qui deficit. Nec pedibus ascendere quæras, nec pedibus te descendere putes: amando Deum ascendis, amando sæculum cadis. Sunt ergo ista cantica amantium, quodam sancto desiderio flagrantium. Ardent qui ista cantant ex corde, quorum etiam cor ardens invenitur in moribus, in bona conversatione, in operibus se-

¹ 1 Cor. iv, 12, 1 Tess. ii, 7 et 9, et 2 Tess. iii, 8, 9.

cundum præcepta Dei, in contemptu temporalium, in charitate æternorum. Sed quare sit additum, « Salomonis, » quantum inspiraverit Dominus, dicam Charitati Vestræ,

II. Salomon erat tempore suo filius David, magnus ille, per quem multa sancta præcepta et salubria monita et divina sacramenta Spiritus sanctus in divinis Litteris operatus est. Nam ipse Salomon mulierum amator fuit, et reprobatus est a Deo: et usque adeo laqueus illi fuit illa cupiditas, ut a mulieribus etiam idolis sacrificare cogere, sicut de illo Scriptura testis est¹. Sed si, illo cadente, quæ per illum dicta sunt, delerentur: judicaretur quia ipse dixerat, non per illum dicta erant. Optime igitur etiam hoc egit misericordia Dei et Spiritus ejus, ut quidquid boni per Salomonem dictum est, Deo tribueretur: peccatum autem hominis homini. Quid mirum quia in populo Dei cecidit Salomon? In paradiso non cecidit Adam? Non cecidit de cælo angelus, et diabolus factus est? Ideo docemur in nullo hominum spem esse ponendam: quia et iste Salomon ædificaverat templum Domino², in typo quidem et in figura futuræ Ecclesiæ et corporis Domini: unde dicit in Evangelio, « Solvite templum hoc, » et in triduo excitabo illud³. » Quia ergo ipse ædificaverat illud templum, ædificavit sibi templum, verus Salomon Dominus noster Jesus Christus, verus pacificus. Nomen enim Salomonis interpretatur pacificus: est autem ille verus pacificus, de quo dicit Apostolus, « Ipse est enim » pax nostra, qui fecit utraque unum⁴. » Ipse est verus pacificus, qui duos parietes, diverso venientes in se copulavit, quibus factus est lapis angularis, venienti populo ex circumcissione credentium, et venienti populo ex præputio Gentium et ipsorum credentium; fecit unam Eccle-

¹ 3 Reg. xi, 1. — ² Id. vi, 1. — ³ Joan. ii, 19. — ⁴ Ephes. ii, 14.

siam de duobus populis, factus est illis lapis angularis¹, et ideo vere pacificus. Quia ergo ille verus Salomon; Salomon autem ille filius David de muliere Bethsabæe², rex Israël, figuram gestabat hujus pacifici, quando templum ædificavit: ideo ne illum putes Salomonem qui ædificavit domum Deo, alium Salomonem tibi ostendens Scriptura sic cœpit in Psalmo: « Nisi Dominus ædificaverit domum, » in vanum laboraverunt ædificantes eam. » Dominus ergo ædificat domum, Dominus Jesus Christus ædificat domum suam. Laborant multi in ædificando: sed si non ille ædificet, « In vanum laboraverunt ædificantes eam. » Qui sunt qui laborant ædificantes? Omnes qui in Ecclesia prædicant verbum Dei, ministri sacramentorum Dei. Omnes currimus, omnes laboramus, omnes ædificamus modo: et ante nos cucurrerunt, laboraverunt, ædificaverunt: sed « Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt, ædificantes eam. » Ideo quosdam videntes ruere Apostoli, et proprie Paulus ait, « Dies observatis » et annos et menses et tempora; timeo vos, ne forte sine causa laboraverim in vos³. » Quia noverat se intus a Domino ædificari, plangebatur istos, quia sine causa laboraverat in eis. Nos ergo loquimur foris, ille ædificat intus. Quomodo audiatis, nos advertimus: quid cogitatis, ille solus novit, qui cogitationes vestras videt. Ipse ædificat, ipse monet, ipse terret; ipse intellectum aperit, ipse ad fidem applicat sensum vestrum: et tamen laboramus et nos tanquam operarii; sed « nisi Dominus ædificaverit » domum, in vanum laboraverunt ædificantes eam. »

III. Quæ autem domus Dei, et ipsa civitas. Domus enim Dei, populus Dei; quia domus Dei, templum Dei. Et quid dicit Apostolus? « Templum enim Dei sanctum » est, quod estis vos⁴. » Omnes autem fideles, quæ est

¹ Ephes. ii, 14 et 22. — ² 2 Reg. xii, 24. — ³ Gal. iv, 10. — ⁴ 1 Cor. iii, 17.

domus Dei, non solum qui modo sunt, sed et qui ante nos fuerunt et jam dormierunt, et qui post nos futuri sunt, adhuc qui nasci habent in rebus humanis usque in finem sæculi, congregati in unum fideles innumerabiles, sed Domino numerati, de quibus dicit Apostolus, « Novit Dominus qui sunt ejus¹ : » grana illa quæ modo gemunt inter paleas, quæ massam unam factura sunt, quando area in fine fuerit ventilata² : omnis ergo numerus fidelium sanctorum, ex hominibus commutandorum ut fiant æquales Angelis Dei, adjuncti etiam ipsi Angelis, qui modo non peregrinantur, sed expectant nos quando a peregrinatione redeamus, omnes simul unam domum Dei faciunt, ut unam civitatem. Ipsa est Jerusalem, Habet custodes : quomodo habet ædificantes, laborantes ut ædificetur; sic habet et custodientes. Nam ad custodiam pertinet quod dicit Apostolus, « Timeo ne sicut serpens » Evam seduxit astutia sua, sic et vestræ mentes corrumpantur a castitate, quæ est in Christo³. » Custodiebat, custos erat; vigilabat quantum poterat, super eos quibus præerat. Et Episcopi hoc faciunt. Nam ideo altior locus positus est Episcopis, ut ipsi superintendant, et tanquam custodiant populum. Nam et græce quod dicitur Episcopus, hoc latine superintensor interpretatur : quia superintendit, quia desuper videt. Quomodo enim vinitior altior fit locus ad custodiendam vineam, sic et Episcopis altior locus factus est. Et de isto alto loco periculosa redditur ratio, nisi eo corde stemus hic, ut humilitate sub pedibus vestris simus, et pro vobis oremus, ut qui novit mentes vestras ipse custodiat. Quia nos intrantes vos et exeuntes possumus videre; usque adeo autem non videmus quid cogitetis in cordibus vestris, ut neque quid agatis in domibus vestris videre possimus. Quomodo ergo custo-

¹ 2 Tim. II, 19. — ² Matth. III, 12. — ³ 2 Cor. XI, 3.

dimus? Quomodo homines, quantum possumus, quantum accepimus. Et quia nos sicut homines custodimus, et perfecte custodire non possumus, ideo sine custode remanebitis? Absit. Nam ubi est ille de quo dicitur, « Nisi Dominus custodierit civitatem, in vanum laboravit qui custodit eam? » Laboramus in custodiendo, sed vanus est labor noster, nisi ille custodiat, qui videt cogitationes vestras. Custodit ille cum vigilatis, custodit et cum dormieritis. Ille enim dormivit in cruce semel, et surrexit, jam non dormit. Estote Israël : « Quia non dormit, neque dormitabit, qui custodit Israël¹. » Eia fratres, si volumus sub umbra alarum Dei custodiri, simus Israël. Custodimus enim vos ex officio dispensationis, sed custodiri volumus vobiscum. Tanquam vobis pastores sumus, sed sub illo Pastore vobiscum oves sumus. Tanquam vobis ex hoc loco doctores sumus, sed sub illo uno Magistro in hac schola vobiscum condiscipuli sumus.

IV. Si volumus custodiri ab illo qui humiliatus est propter nos, et exaltatus est ad custodiendos nos, humiles simus. Nemo sibi arroget aliquid. Nemo habet aliquid boni, nisi ab illo acceperit, qui solus bonus est. Qui autem sibi voluerit arrogare sapientiam, stultus est. Sit humilis, ut veniat sapientia et illuminet illum. Si autem antequam veniat in illum sapientia, putat se esse sapientem; ante lucem surgit, et ambulat in tenebris. Et quid audit in isto Psalmo? « In vanum est vobis ante lucem surgere². » Quid est, « In vanum est vobis ante lucem surgere? » Si surgatis antequam surgat lux, necesse est ut in vanitate remaneatis, quia in tenebris eritis. Surrexit lux nostra Christus : bonum est tibi ut surgas post Christum, non surgas ante Christum. Qui surgunt ante Christum? Qui se volunt præponere Christo. Et qui sunt qui se volunt

¹ Psal. cxx, 4. — ² Id. cxxvi, 2.

præponere Christo? Qui volunt hic excelsi esse, ubi humilis ille fuit. Sint ergo hic humiles, si volunt ibi esse excelsi, ubi Christus excelsus est. Ait enim de iis qui illi adhæserant fide, in quibus et nos sumus, si et nos in illum puro corde credimus: « Pater, inquit, quos mihi dedisti, » volo ut ubi ego sum, et ipsi sint mecum¹. » Magnum donum, magna gratia, magna promissio, fratres mei. Et quis non vult esse cum Christo, ubi est Christus? Sed jam excelsus Christus: vis ibi esse ubi est excelsus? Esto humilis, ubi et ille humilis fuit. Propterea illis dicit ipsa lux, « Non est discipulus super magistrum, nec servus » super dominum suum². » Qui volebant discipuli esse super magistrum, et servi volebant esse super dominum suum, ante lucem volebant surgere; in vanum ibant, quia non post lucem ibant. Illis ergo dicit iste Psalmus, « In » vanum est vobis ante lucem surgere. » Tales erant filii Zebedæi, qui antequam humiliarentur secundum passionem Domini, jam sibi loca eligebant, ubi sederent, unus ad dexteram, alter ad sinistram. Ante lucem volebant surgere; ideo in vanum ibant. Revocavit illos Dominus ad humilitatem, cum hoc audiret, et ait illis, « Potestis » bere calicem, quem ego bibiturus sum³? » Ego veni humilis esse, et vos ante me vultis esse excelsi? Qua ego eo, illac sequimini, ait. Nam si hac vultis ire, qua ego non eo, « In vanum est vobis ante lucem surgere. » Et Petrus ante lucem surrexerat, quando consilium Domino dare volebat, ut non pateretur pro nobis. Dixerat enim ille de passione sua, in qua salvi futuri eramus, de ipsa humilitate; humilis enim passus est; cum ergo de passione sua futura diceret, expavit Petrus, qui illum paulo ante dixerat Filium Dei: timuit ne moreretur, et ait illi, « Absit a te, Domine, propitius esto tibi, non fiet istud⁴. »

¹ Joan. xvii, 24. — ² Matth. x, 24. — ³ Id. xx, 22. — ⁴ Id. x, 22.

Ante lucem volebat surgere, et luci consilium dare. Sed quid fecit Dominus? Fecit illum, ut post lucem surgeret: « Redi post me, Satanas¹. » Ideo enim Satanas, qui ante lucem vis surgere. Redi post me, ut ego præcedam, tu sequaris: qua ego eo, illac eas; non qua tu vis ire, illac me velis ducere.

V. Ergo illis qui volebant ante lucem surgere dicit Psalmus, « In vanum est vobis ante lucem surgere. » Et quando surgemus? Cum fuerimus humiliati. « Surgite » postea quam sedistis. » Surrectio exaltationem significat, sessio humilitatem significat. Aliis locis intelligitur sessio in honore judicandi, aliis locis humilitatem ostendit. Quomodo in honore judicandi sessio? « Sedebitis super duodecim sedes, judicantes duodecim tribus Israël². » Quomodo in signo humilitatis sessio? « Hora sexta Dominus » fatigatus sedit ad puteum³. » Fatigatio Domini, infirmitas Domini fuit, infirmitas virtutis, infirmitas sapientiæ: sed ipsa infirmitas, humilitas. Ergo si sedit ex infirmitate, sessio illa humilitatem significat. Et ipsa sessio ipsius, id est, humilitas ipsius, ipsa nos fecit salvos: quia, « Quod » infirmum est Dei, fortius est quam homines⁴. » Ideo dicit in quodam Psalmo, « Domine, tu cognovisti sessionem meam et resurrectionem meam⁵: » id est, humilitatem meam et exaltationem meam. Quid ergo vos ante lucem vultis exaltari, o filii Zebedæi? Sic enim loquamur, et ipsos potius nominemus, qui non nobis irascuntur: quia ideo de illis ista conscripta sunt, ut alii caverent superbiam, in qua ipsi correpti sunt. Quid ergo vultis « Ante » lucem surgere? In vanum est vobis. » Exaltari vultis, antequam humiliemini? Dominus ipse vester, qui est lux vestra, humiliatus est ut exaltaretur. Audite Paulum di-

¹ Matth. x, 23. — ² Id. xix, 28. — ³ Joan. iv, 6. — ⁴ I Cor. i, 25. — ⁵ Psal. cxxxviii, 2.

centem : « Qui cum in forma Dei esset, non rapinam » arbitratus est esse æqualis Deo. » Quare illi non erat rapina? Quia natura erat, quia hoc natus erat ut esset æqualis illi a quo genitus est. Sed quid fecit? « Propter » nos semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in » similitudine hominum factus, et habitu inventus ut » homo. » Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Hæc est sessio ipsius. Sed audi resurrectionem : « Propter quod et Deus illum » exaltavit, et donavit illi nomen quod est super omne » nomen ¹. » Jam vos ad illud nomen festinatis; « Sur- » gite, » sed « Postea quam sedistis. » Surgere vultis, sed primo sedete : et surgens ab humilitate, pervenis ad regnum. Nam si præripis regnum, cadis a regno antequam surgas. « Potestis bibere, inquit, calicem quem ego » bibiturus sum? » Et illi, « Possumus. » Et ille, « Calicem, inquit, meum bibetis, sedere autem ad dexteram, vel ad » sinistram meam, ait, non est meum dare vobis : aliis » paratum est a Patre meo. » Quid est, « Non est meum » dare vobis? » Non est meum dare superbis : hoc enim adhuc erant. Sed si vultis illud accipere, nolite esse quod estis. Aliis paratum est : et vos alii estote, et vobis paratum est. Quid est, Alii estote? Prius humiliamini, qui jam vultis exaltari. Intellexerunt ergo humilitatem profuturam sibi, et correcti sunt. Ergo et nos hoc audiamus, quia hoc dicit Psalmus iste : « Surgite postea quam se- » distis. »

VI. Sed ne quis putet se ad hoc sedere ut honoretur, ut ostenderet quia sessione ista humilitatem voluit commendare; ne quis se putaret jussum esse sedere, aut ad judicandum, aut ad epulandum et gaudendum, et majorem superbiam ibi quæreret, in significationem humilitatis

¹ Philip. II, 6-9. — ² Matth. XX, 22, 23.

addidit, « Qui manducatis panem doloris. » Illi ergo manducant panem doloris, qui gemunt in ista peregrinatione. Ipsi sunt in convalle plorationis. Ascensiones enim fecit Deus in corde. Sed ubi illas disponit? « Ascensiones, in- » quit, in corde ejus disposuit ¹. » Quis? Deus. Si ascensiones in corde, ideo cantant Canticum graduum. Humiliemur in sæculo; ascendamus. Quomodo? Corde. Quia ipse ascensio cordis a convalle plorationis surgit. In convalle; inquit, plorationis. Quomodo erecti sunt montes, sic sederunt convalles; convalles enim dicuntur loca depressa terrarum : colles autem eminentiora loca, minus tamen quam montes : multum excelsa loca terrarum montes dicuntur. Parum est : non ait, A colle surgite, nec ait, A campo; sed, A convalle, ut sit aliquid humilior quam campus est. Si ergo in convalle plorationis manducas panem doloris, et dicis, « Factæ sunt mihi lacrymæ meæ panis » die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie : Ubi est Deus » tuus? » bene surgis, quia sedisti.

VII. Et quasi diceret, Quando surgemus? Modo jubemur sedere, quando erit nostraurrectio? Quando fuit Domini. Ad eum attende, qui te præcessit. Nam si non idipsum attendis, in vanum est tibi ante lucem surgere. Ipse quando exaltatus est? Cum mortuus est. Ergo et tuam exaltationem post mortem spera, in resurrectione mortuorum spera, quia ille resurrexit et ascendit. Sed ubi dormivit? In cruce. Quando dormivit in cruce, signum gestabat, imo implebat quod significatum est in Adam : quia cum dormiret Adam, costa illi detracta est, et Eva facta est ³ : sic et Domino cum dormiret in cruce, latus ejus lancea percussus est ⁴, et sacramenta profluxerunt, unde facta est Ecclesia. Ecclesia enim conjux Domini facta est de latere,

¹ Psal. LXXXIII, 6, 7. — ² Id. XLII, 4. — ³ Gen. II, 21. — ⁴ Joan. XIX, 34.

quomodo Eva facta est de latere. Sed quomodo illa non est facta nisi de latere dormientis, sic ista non est facta nisi de latere morientis. Si ergo ille non resurrexit nisi mortuus, tu exaltationem speras nisi post hanc vitam? Sed ut doceat te iste Psalmus, quasi interrogares, Quando surgam? fortassis prius quam sedero? « Cum dederit, inquit, dilectis ejus somnum. » Dat hoc Deus, cum dormierint dilecti ejus, tunc surgent dilecti ejus, id est, Christi. Omnes enim surgent, sed non quomodo dilecti ejus. Omnium est resurrectio mortuorum, sed quid ait Apostolus? « Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur¹. » Resurgunt illi ad poenas; refugimus nos quomodo resurrexit Dominus noster, ut sequamur caput nostrum, si membra ipsius sumus. Si autem membra ejus sumus, tunc sumus dilecti ejus, tunc ad nos pertinet illa resurrectio quæ præcessit in Domino, ut lux surrexit ante nos, nos post lucem: quia in vanum est nobis ante lucem surgere, id est, altitudinem quærere antequam moriamur; cum Christus lux nostra non fit exaltatus in carne, nisi posteaquam mortuus est. Constituti ergo membra ejus, et in membris ejus dilecti ejus, cum somnum acceperimus, tunc surgemus in resurrectione mortuorum. Unus resurrexit, jam non moriturus. Resurrexit Lazarus², sed moriturus; resurrexit filia Archisynagogi³, sed moritura; resurrexit filius viduæ⁴, sed moriturus: resurrexit Christus non moriturus. Audi Apostolum: « Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, et mors ei ultra non dominabitur⁵. » Talem spera resurrectionem: et propter hoc esto Christianus, non propter felicitatem terræ hujus. Nam si propter felicitatem vitæ hujus vis esse Christianus, quando illa lux tua non hic quæsivit mundanam felicitatem, ante lucem vis surgere, necesse est ut in tene-

¹ 1 Cor. xv, 51. — ² Joan. xi, 44. — ³ Matth. ix, 25. — ⁴ Luc. vii, 15. — ⁵ Rom. vi, 9.

bris perseveres. Mutare, sequere lucem tuam; quare surrexit, surge: sede prius, et sic surge. « Cum dederit » somnum dilectis ejus. »

VIII. Quasi quæreres iterum, Quibus dilectis? « Ecce » hæreditas Domini, filii, merces fructus ventris¹. » Quando dicit, « Fructus ventris; » parturiti sunt filii isti. Est quædam mulier, in qua spiritaliter ostenditur quod dictum est Evæ: « In gemitu parturies². » Parit enim Ecclesia filios conjux Christi: et, si parit, parturit. In cujus figura etiam mater vivorum appellata est³. In membris parturientis erat ille qui dicebat, « Filioli mei, quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis⁴. » Sed non frustra parturivit, nec frustra peperit: erit semen sanctum in resurrectione mortuorum; abundabunt justi, qui diffusi sunt modo toto orbe terrarum. Gemit illos Ecclesia, parturit illos Ecclesia: in illa autem resurrectione mortuorum apparebit partus Ecclesiæ, transiet dolor et gemitus. Et quid dicetur? « Ecce hæreditas Domini, filii, merces » fructus ventris. » Hujus « fructus; » non, hic fructus⁵: « merces » hujus « fructus ventris. » Quæ est ipsa merces? Resurgere a mortuis. Quæ est ipsa merces? Surgere, posteaquam sedisti. Quæ est ipsa merces? Lætari posteaquam manducasti panem doloris. Cujus ventris? Ecclesiæ: in cujus ventre, quia ejus typum Rebecca gestabat, duo illi gemini tanquam duo populi luctabantur⁶. Una mater in visceribus suis dissentientes fratres nondum natos continebat: pulsabant materna viscera discordiis internis; gemebat illa, vim patiebatur; sed pariens discernebat, quos geminos prægnas pertulerat. Sic et modo, fratres, quandiu gemitus datus est Ecclesiæ, quandiu parturit Ecclesia, ipsi sunt intus et boni et mali. Fructus autem

¹ Psal. cxxvi, 3. — ² Gen. iii, 16. — ³ Ibid. 20. — ⁴ Gal. iv, 19. — ⁵ Græc. τοῦ καρπῶ. — ⁶ Gen. xxv, 22, 23.

ventris in Jacob erat, quia ipsum dilexit mater. « Jacob » dilexi, dicit Deus, Esaü autem audio habui¹. » Ambo de uno utero processerunt : unus amari meruit, alius reprobari. In dilectis ergo ejus fructus erit, « Ergo merces » fructus ventris. »

IX. « Sicut sagittæ in manu potentis, sic filii excussorum. » Unde enim facta est hæreditas ista, fratres? Unde facta est tam multa hæreditas, de qua dici habet in fine, Ecce hæreditas Domini, filii, merces fructus ventris? Excussi sunt quidam de manu Domini, tanquam sagittæ, et ierunt longe, et totam terram impleverunt, unde pullulant sancti. Nam ipsa est hæreditas, de qua dicitur : « Postula » a me et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ². » Et quomodo ista possessio pertenditur et crescit usque ad fines terræ? Quia, » Sicut sagittæ in manu potentis, sic filii excussorum. » De arcu excutiuntur sagittæ, et quanto fortior excusserit, tanto longius vadit sagitta. Quid autem fortius excutiente Domino? De arcu suo mandat Apostolos suos : non potuit esse residuum, quo non perveniret sagitta a tam forti excussa, pervenit usque ad fines terræ. Ideo non ultra, quia nihil est ultra generis humani. Nam tantas vires ille habet, ut etiam si ultra esset quo pertenderet sagitta, excuteret illuc sagittam. Sic sunt autem filii excussorum, quomodo et illi excussi. Quæsitum est enim de hoc verbo etiam ab iis qui ante nos ista tractarunt, quare filii excussorum dicti sunt, vel qui sunt intelligendi filii excussorum : et quibusdam visum est, sicut modo dixi, filios excussorum, filios esse Apostolorum.

X. Intendat paululum Charitas Vestra. Quæsitum est, quare excussi Apostoli : dictum est a quibusdam, ideo illos appellatos excussos, quia præcepit eis Dominus, « Si

¹ Malach. 1, 2, 3, et Rom. ix, 13. — ² Psal. cxxvi, 4. — ³ Id. 11, 8.

» exieritis de civitate in qua non audiunt vos, excutite pulverem de pedibus vestris¹. » Sed ait alius, « Non ergo » filii excussorum » dici debuerunt, sed filii excutientium. Excutientes enim illos fecit Dominus, quibus dixit, « Excutite pulverem de pedibus vestris : » non excussos. Subtiliter quidem quasi contradicere voluit præcedenti sententiæ, ille a quo jam ista tractata et dicta erant : verumtamen nos, quantum adjuvat Dominus, quærentes quomodo recte dici potuerint etiam excussi, quibus ait Dominus, « Excutite pulverem de pedibus vestris : » invenimus non absurde dici potuisse. Quamvis enim ipsi excuterent, se ipsos excutiebant. Hoc dico : Qui excutit, aut se excutit, aut aliquid aliud : si aliquid aliud excutiat, excutiens est, excussus non est : si autem se excutiat, et excutiens est et excussus. Intendite, hoc planius dicam, si potuero. Si aliud excutiat, excutiens est, non excussus : si ab alio excutiat, excussus est, non excutiens : si autem excutiat se ipsum, excutiens est, quia excussit se ; et excussus, quia excutitur a se. Quæritur ergo quos excusserint Apostoli? Utique se ipsos : a pedibus enim suis pulverem excusserunt. Sed ait aliquis, Non se excusserunt, sed pulverem. Hoc plane calumniose dicitur. Duobus enim modis dicimus aliquid excuti ; sive illud quod inde excutitur, sive illud unde excutitur. Nam et, Excussus est pulvis, dicimus, et excussa est vestis. Tenent aliqui et excutiunt vestem, et exilit inde pulvis qui inhæserat. Quid dicis de pulvere? Excussus est pulvis. Quid dicis de veste? Excussa est vestis. Si ergo et quod inde excutiendo exiliit, et illud unde exiliit quod inhæserat, excussum dicitur ; et pulvis excussus est, et Apostoli excussi sunt. Quare ergo non dicantur « Filii excussorum, » filii Apostolorum?

XI. Sed est alia sententia, quam prætermittere non de-

¹ Matth. x, 14.

bemus. Ideo enim forte obscurius positum est, ut multos intellectus generet, et ditiores discedant homines; quia clausum invenerunt quod multis modis aperiretur, quam si uno modo apertum invenirent. Dicimus excuti etiam aliquid, ut exeat inde quod forte absconditum est. Aliter enim dicimus excuti vestem, ut excutiant inde pulverem; et aliter dicimus excuti saccum, ut illud quod intus latebat, exeat. Ergo intelligo, fratres, quantum possum, filios excussorum fortasse ipsos Apostolos dictos, filios Prophetarum. Prophetæ enim clausa sacramenta et operata continebant: excussi sunt, ut inde manifesta procederent. Puta ergo Prophetam dixisse, sicut et dixit, « Agnovit » bos possessorem suum, et asinus præsepe Domini sui, » Israël autem me non cognovit¹. » Hoc mihi interim ad præsens occurrit, quod de Propheta dicerem: si aliud occurrisset, hoc dixissem. Hoc autem audiens homo, si asinum et bovem, et pecora et jumenta quæ videt, cogitaverit; nescio quid intus tanquam in involucro positum forinsecus pertractabit, quid ibi sit nescit. Asinus et bos aliquid significant. Quid ergo dicitur homini jam pronuntiare volenti? expecta, clausum est quod tangis, excute involucrum: Propheta nescio quid illis velaminibus nominum textit; et nescio quem asinum, nescio quem bovem significat. Nam asinus in figura populi Dei, jumentum Dei est, portans sessorem Dominum ne erret in via: et bos ille de quo dicit Apostolus, « Bovi trituranți os non infrenabis². » Numquid de bobus pertinet ad Deum, dixit? Sed propter nos Scriptura dicit. Omnis ergo qui prædicat verbum Dei, monet, objurgat, terret; triturat aream, et bovis implet officium. Veniebat bos de gente Judæorum, inde enim prædicatores Apostoli: veniebat et asinus de gente præputii, id est, a Gentibus. Venit enim ut portaret

¹ Isaï. 1, 3. — ² 1 Cor. ix, 10.

Dominum: et ideo in asino sedit Dominus, qui nunquam portaverat hominem; quoniam ad gentes Lex non erat missa, nec Prophetæ. Ergo quia Dominus noster Jesus Christus cibaria nostra voluit esse, et propterea natus in præsepio collocatus est: « Cognovit bos possessorem suum, » et asinus præsepe Domini sui. » Sed numquid ista exirent, nisi saccus excuteretur? Nisi prophetia involuta accedente diligentia discuteretur, numquid operata exirent ad nos? Omnia ergo ista clausa erant, antequam veniret Dominus. Venit Dominus et excussit illa clausa, et manifestata sunt: excussi sunt Prophetæ, et generati sunt Apostoli. Quia ergo excussis Prophetis generati sunt Apostoli, filii sunt excussorum. Ipsi in manu potentis positi tanquam sagittæ, pervenerunt usque in fines terræ. Unde dici habet in fine: Ecce hæreditas Domini, filii, merces fructus ventris. Quia ideo de finibus terræ colligitur ista hæreditas; quia, « Sicut sagittæ in manu potentis, sic filii excussorum: » id est, filii Prophetarum Apostoli fuerunt quasi sagittæ in manu potentis. Si potens ille potenter excussit: si potenter excussit, usque in fines terræ pervenerunt quos excussit.

XII. « Beatus homo qui implevit desiderium suum ex eis¹. » Eia, fratres mei, quis replet desiderium suum ex eis? Qui non amat sæculum. Qui desiderio sæculi plenus est, non est quo intret quod illi prædicaverunt. Funde quod portas, et capax fiere ad id quod non habes. Id est, desideras divitias, non potes implere ex eis desiderium tuum. Desideras honores in terra, desideras ea quæ etiam jumentis donavit Deus, hoc est, voluptatem temporalem, et salutem corporis, et talia; non ex eis implebis desiderium tuum. Si autem sic desideras, quomodo cervus desiderat ad fontes aquarum²; si dicis, « Desiderat et deficit

¹ Psal. cxxvi, 5. — ² Id. xli, 2.